DISSERTATIONEM SOLEMNEM
DE
SALICE LAVREA ODORATA, LINNAEI PENTANDRA,

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

MED. ET PHILOS. DOCT. MED. THEOR. ANAT. BOTAN. ET PHARMAC.
PROF. PVBL. ORD. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECT.
MOG. ERFVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIET.
DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

CAPESSVRVS

D. SEPTEMBRIS CIƆIƆCCLXIX. 1769

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CHRISTIANVS HENRICVS SPECKBVCK,
PRIGNITIENSIS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

VIRO

SVMME REVERENDO

DOCTISSIMOQVE

HENRICO HARKSEN,

AD AEDEM GERMANORVM LVTHERANAM DIVO

PETRO SACRAM, APVD PETROBVRGENSES

VERBI DIVINI MINISTRO LONGE

MERITISSIMO,

FAVTORI ATQVE AMICO SVO

SVMMA PIETATE

COLENDO,

PRIMITIAS HAS

MEDICAS ET ACADEMICAS,

IN

PERPETVVM

IMMORTALIVM BENEFICIORVM,

IN SE

INDVLGENTISSIME COLLATORVM,

MONVMENTVM

D. D. D.

AVCTOR.

DIS-

DISSERTATIO

DE

SALICE LAVREA ODORATA.

---

§. I.

Tempore majorum quasdam *e Salicis ſpeciebus* et varietatibus non modo absque delectu inter ſimplicia medicamenta fuiſſe relatas, verum etiam aegrotantibus interne et externe cum fructu propinatas, fidae medicorum relatio-

nes teſtantur (*a*). Auctores *Salicem* iſtam quidem, ob foliorum ſuperficiem incanam atque argenteam ſic vocatam *albam*, ſub nomine *Salicis officinalis* nonnulli indicarunt (*b*), alii vero, ſummam virium convenientiam inter Salices indubiam certamque exiſtimantes, reliquas omnes huius gentis absque diſcrimine in vſum vocarunt. Non pauci deinceps poſterorum, qui de transmarinis vtriusque Indiæ medicamentis aliisque exoticis chemicis remediis ſumtuoſis magis cogitarunt, quam de perſcrutatione ſolidiore phyſico-chemico-medica remediorum atque vegetabilium in patrio ſolo ſponte naſcentium, facileque parabilium, et quibus incolis aegrotantibus cito, tuto, atque iucunde medelam afferrent, remedia indigena ſaepius efficaciſſima, dona, inquam, iſta benigniſſimae naturae pretioſiſſima, ſtudio ſæpius tanquam

(*a*) Confer ſcripta celebriorum ſuae aetatis medicorum v. gr. STOBAEI, GABELCHOVERI, MIZALDI, RIEDLINI, FERNELII, DEODATI, IOELIS, WELSCHII, FORESTI, VARIGNANAE, FALLOPII, HARTMANNI, BANIERII, HOLLERII, PRAEVOTII, SOLENANDRI, aliorumque.

(*b*) *Salix alba* 3. LINN. *Sp. Pl.* 1449. Salix vulgaris alba arboreſcens, C. BAVH. *Pin.* 473. *Weiſse Weide.* Planta adſtringens cortice tinctorio, HALLER. *Helvet.* 307.

quam ignobilia et artis noſtrae indigna, neglexerunt (*c*). Prout etiam nunc plerorumque hominum mos eſſe ſolet, de remediis peregrinis ſumma ferme omnia meditamur, et de dubiis, fallacibus et fraudulentis iſtis, magno pretio comparandis, valdopere ſolliciti ſumus; quae materiam medicam indies augent, artis vero tyrones cum ipſis exercitatioribus non raro turbant dubiosque reddunt: certiora vero atque tutiora in regionibus noſtris oriunda lubentiſſime ignoramus.

§. II.

Cordatiores interim medici cum reliquis in arte prouectioribus horrent farraginem eiusmodi corporum naturalium, e tribus ſic vocatis regnis ſine iudicio vndique corroſam, et vana, ſplendida, ignobiliora cum ſuppoſititiis et ſuperficiarie tantum cognitis reiiciunt (*d*), eorundemque loco pauciora cum indi-

(*c*) Vid. BOECLER. *Diſſ. de neglecto remediorum vegetabilium circa Argentinam naſcentium etc.* et BORRICHIVM *de Vſu plantarum indigenarum in medicina.*

(*d*) PLINIVS *Hiſt. Nat.* L. XXIV. Cap. I. fata medicamentorum ſuae aetatis, noſtrae multum ſimilia, enarrat.

indigenis commendant (*e*). Reliqua itaque omnia fato ſuo relinquunt, peregrinis remediis admodum ſolemni; vi cujus maior illorum pars, ſola fama celebritatem adepta, temporis tractu, propter inertiam, ingens pretium, et mercatorum fraudes, tam laude, quam vſu priuata ſenſim euaneſcit (*f*). Reſurgunt poſtea quaſi priſtina remedia præſtantiora, per aliquod tempus vilipenſa atque neglecta, et loca ſua iisdem a majoribus olim conceſſa iterum tacite occupant.

§. III.

Cum autem non omnia ferat omne tellus, calidioribus quibusdam regionibus remotiſſimis medicamenta ſua propria, aromata et nobiliora producta concedimus, quibus ob ſoli bonitatem atque climatis clementiam noſtris præſtant et morbis in patria graſſantibus ſufficiunt. Optimorum tamen ſimplicium medicamentorum copiam in Germania noſtra temperata, quæ apud exteros quoque in magna celebritate verſantur, nemo facile in dubium vocare poterit,

(*e*) Vid. RIVINI *Cenſuram medicamentorum officinalium.*

(*f*) Cf. SCHVLZIVS in *Libr. Memor. de Form. conſcribendis.*

poterit, nisi rerum illarum, quae in scientia naturali et medica prioribus annis gesta sunt, plane ignarus. Natura namque multis patriae nostrae regionibus stirpium medicarum copiam satis insignem concessit, quae vel sua sponte proueniunt in agris, pratis et syluis, vel cultura ita augentur, vt magna pars per mercaturam quotannis ad vicinos exterosque, praesertim septentrionales, transeat. Dictitante vero rationalium medicorum experientia sufficit nobis thesaurus iste medicamentorum Germaniae indigenorum, vt peregrinis vix vllis facile opus habeamus.

§. IV.

Ex illa vero copia simplicium indigenorum selectu medicus peritior atque iudicio praestans semper opus habet, selectaque pauciora medicamina vlteriori examine atque cognitione physico-chemico-medica digna sunt; quibus rite determinatis, quin medicus rationalis meliora ignobilioribus antepositurus sit, dubium non est (*g*). Ad medicamenta

(*g*) Egregia huc spectantia docet *Illustris* CARTHEUSERUS, *Scientiae systematicae medicamentorum restaurator praestantissimus*, in Fundam. Mat. Med. T. I. p. 5. 7. §. VI. VII.

vero peregrina quod attinet, de illis in genere notandum esse arbitramur, e paucis nempe optima vel nulla in vsum esse vocanda, cum nostra remedia indigena exoticis principiorum atque virtutum praestantia minime cedant. Quare etiam illis commode carere possemus, si vel ingens ille nostrorum remediorum numerus non sufficeret, quae in officinis vulgo prostant. Stirpes enim aliae nobis supersunt plures, virtutis nondum satis exploratae, quarum et odor et sapor, cum reliquis signis collati, elementa mixtionis produnt efficacissima, quae vires atque effectus in corpore humano cooperante spondent haud vulgares, aliis nullo modo inferiores, quae vago saepius rumore extolluntur. Restant itaque stirpes diu multumque neglectae, a medicis tamen atque chirurgis olim magni aestimatae. Huius generis remedia a medicis rationalibus facile ad examen reuocantur et in praxi loco transmarinorum pretiosorum cum emolumento adhibentur.

§. V.

Botanici, plantarum scrutatores solertissimi, in dies simplicia noua detegunt, quae thesaurum materiae medicae a sordibus repurgatum minime one-

onerant; detecta vero rite definiunt, eorundemque memoriam hac ratione ſancte ſeruant, ne, vt olim ſaepius factum eſſe conſtat, obliuioni in poſterum tradantur: dubia quoque ſoluunt et errores circa ſimplicia ſatis inſignes ſtudioſe emendant. Digerant autem alii inuenta atque collecta botanicorum phyſici, medici, oeconomique, et ordine certo in cellas aut fauos ſuos reponant: medentes autem praeſertim ſimplicia, vlteriori examine comprobata, in vſum aegrotantium ad artis normam ſcite atque experte adhibeant; quiquid alii contradicant ſcioli aut inſcii, collectoribus rerum naturalium intra patriam quam maxime infenſi, quibus profecto ſemper ferme inuitis peregrinationes intra patriam ſuſcipiuntur, et remedia, ſponte ſua naſcentia, alto atque ſupino ſilentio ſepulta, reuelantur, et in vſum publicum commendantur (*h*).

§. VI.

Cum autem numerus ſtirpium in Germania noſtra aetate induſtria ſummorum virorum maxima ceperit incrementa, e quibus non minor pars, antecesso-

(*h*) De vſu peregrinationum intra patriam vid. *Ill.* LINNAEI *Oratio Amoenitat. academ.* Vol. II. inſerta.

ceſſoribus olim ſatis ſuperque cognita atque experta, ſolo ferme et nimio nouitatis ſtudio citra vllam verae rationis ſpeciem neglecta fuit, ſumma aequitas, ratione et experientia fulta, hoc velle videtur, vt plantae noſtrates, propria olim efficacia in corpore humano praeſtantes, in numerum medicamentorum reuocentur, medicamina vero noua, ſola ſaepius fama introducta, infida, dubiaue cum ignobilioribus iterum expungantur et ſempiternae obliuioni tradantur.

§. VII.

Inter remedia diu multumque neglecta, antiquis autem medicis ſatis nota, *Salices* quoque numerari debent, in patria ſponte naſcentes, vt ſupra (§. I.) iam diximus, quae ſibi inuicem principiis et viribus plus minusue reſpondent aut a ſe inuicem recedunt. In quibusdam *cortices*, *lignum*, *folia* et *viſcum* ſapore et vi ſtyptica ſatis conueniunt, in potioribus vel omnibus *amenta floralia maſcula florentia*, fragrantiſſima, balſamico-ſpirituoſa et ſubadſtringentia tantum vnius eiusdemque indolis ſunt, reliquis partibus in planta vix aut non odoratis. Quaedam inter *Salices vulgares* occurrunt, *florum amentis maſculis* exceptis, inodorae, quarum cortices et folia prae ceteris

ceteris *sapore amaro* aut *amaro-austero* donantur; videmus porro alias huius generis, quae, *odore debili* atque *fugaci* donatae, linguae *amarorem satis intensum* imprimunt. Iam memoratae circumstantiae autem variant, ita, vt in vna eademque specie *folia iuniora*, cum *ramulis nouellis* nonnihil odorata, simul insigni *amarore* gaudeant, qui in annotinis temperatior existit, et in corticibus atque foliis ramorum triennium et crassiorum debilis deprehenditur, vt deficere etiam videatur, et huius loco sapor mere atque *valide adstringens* obseruetur, absque vllo singulari odore (*i*).

§. VIII.

De pluribus tamen Salicis speciebus hoc loco nobis sermo non est, sed vnicam tantum pertractabimus, ceteris fere omnibus nobiliorem et magis medicamentosam. Dantur quidem salices quatuor amarae vulgaris notitiae et a se inuicem distinctae:

(*i*) Quae de Salicum differentia enarrauimus, debemus praesertim *Celeb.* GLEDITSCHIO, *Berolinensium Professori* summa nominis fama conspicuo, nostroque Praeceptori aeternum venerando, qui *Salices in Marchia sponte nascentes* viginti abhinc annis collegit et in vsum botanicum, medicum, atque oeconomicum explorauit.

quarum vnica balſamica fragrans principiis et viribus reliquis praeſtat, et noſtrae diſſertationis argumentum conſtituet. Ad noſtram, propter amarorem foliorum et corticis iunioris inſignem, propius accedit *Salix fragilis* (*k*), alia occaſione deſcribenda, cui tamen partes volatiles oleoſo-ſpirituoſae balſamicae odoratae deſunt.

§. IX.

Salix autem *iſta*, quam *lauream odoratam* vocamus, et in qua conſideranda operam nunc ſtudiumque collocabimus, eſt *Salix* 3. *foliis ſerratis glabris, floſculis pentandris*, LINN. *Sp. Pl.* 1442. GMELIN. *Flor. Sibir.* Tom. I. tab. 34. fig. I. Salix foliis glabris ouato lanceolatis, petiolis glanduloſis, floribus hexandris, HALLER. *Helv.* 306. no. 1639. Salix folio laureo, ſeu lato glabro odorato, RAII *Synopſ. III.* p. 449. *Hiſt. Pl.* p. 1420. *Lorberweide*, *Baumwollenweide*, *Schaafweide*, *Bitterweide.* Planta Marchiae Brandenburgicae indigena pro ſoli natura, vbertate, aetate, ſitu, ſiccitate, den-

(*k*) *Salix fragilis*, 8. LINN. *Sp. Pl.* 1443. Salix fragilis, C. BAVH. *Pin.* 474. *Prodrom.* 159. Salix folio longo latoque ſplendente fragilis, RAII *Angl.* 3. p. 448. *Cantabrig.* 143. *Bruchweide.* Folio intenſe amara et inodora ſunt.

densitate aut cultura variam formam atque faciem prae se ferre solet. Hinc Salix ista modo fruticis humilioris atque tenuioris naturam seruat, modo excelsa, crassa et annosa euadit, inter reliquas suae gentis facile speciosissima. De radice eius, quae in solo subhumido et pingui aut spongioso fertili, ab aquis subsidente, ad notabilem magnitudinem peruenit, non est, cur hoc loco fusius agamus, cum ratione formae et modi crescendi a reliquarum Salicum radicibus, praesertim annosis, parum differat. Naturalis spontanea et fruticosa planta loca sectatur pratensia depressa, e quibus ad vmbrosa vliginosa frigida et turfosa facile descendit, quae virus coenosum toto ferme anno exhalant. Rarius paulo in campis limosis irriguis occurrit: quae in elatioribus, agrisque interiectis pascuis et circa pagos culta viuit; vbi ventis et radiis solaribus magis exposita est, pulchrius adolescit, in arboris formam abit, vitamque seruat facile longissimam. Visui in iisdem locis laeto laurino virore, et olfactui pergrato ac temperato odore blanditur.

§. X.

Salix nostra medicamentosa, verus quidem Marchiae, Borussiae, Pomeraniae atque Lusatiae infe-

inferioris incola, per integros harum regionum tractus occurrit, et in multis culta et ſpontanea valde luxuriat; in aliis tamen hodie deſideratur. Hactenus enim ſtirpis nobilitas, colonis multis in locis maxime ignota, potiſſimum cauſa fuit, ob quam plantas eius teneras et nondum adoleſcentes cum reliquis fruticibus noxiis putatis, vbiuis ferme locorum radicitus euellere et inter ſarmenta ad focum et furnos damnare nulli dubitarunt (*l*). Interea tamen paſtores ouium de ſtirpis noſtrae indole viribusque meliora experti, ouibusque cachecticis, oedematoſis et ſcabioſis folia ſicca cum corticibus in pabulo et medicina cum fructu propinantes, aliterque cogitantes, ruricolas de vſu plantae oeconomico certiores fecerunt, et hac ex ratione eandem ab imminente interitu eſſe ſervandam docuerunt.

§. XI.

Planta inculta, ſibique relicta, in virgultis pratorum ſubhumidis obuia, fruticis naturam ſeruat, ob numeroſam radicis et caudicis ſobolem repullulantem. Culta vero poſt repetitam prolis reſectio-

(*l*) Sub nomine *der wilden und faulen Weide*, fruticis ignobilis, exoſi aut nullius vſus.

ſectionem in caulem ſimplicem et rectum arboreſcit, brachii aut femoris humani craſſitie, altitudine viginti pedum. Caulis inferne in trunco ſcaber, ſub epidermide dilute cinerea rimoſus exiſtit; per aetatem magis ſpadiceus, quam in aliis ſpeciebus. Rami eius minus ſequaces et virgati cortice veſtiuntur magis glabro, ramulique nouelli extremi tenaciores luteo ſanguinei, rubelli aut ſpadicei, virore luteolo ſparſim interlucente nitentes, vernice quaſi obducti laete creſcunt. In cortice ramorum, qui primum et ſecundum annum ſuperarunt, miculae lucidae diſperſae etiam conſpicuae ſunt (*m*).

§. XII.

Folia Salicis noſtrae praeſertim notatu digna ſunt, ob faciem in ſolo diuerſo, diuerſoque anni tempore, variam et inconſtantem, quae diſtinctas a ſe inuicem ſpecies referre quaſi videtur. Diuerſa folia in vna eademque planta non raro occurrunt. Differunt autem potiſſimum ſecundum aetatem plantae atque ramorum, fundi naturam, et tempora anni.

 Folia

(*m*) Stirpis noſtrae adumbratio Gmeliniana *Flor. Sibir. Tom. I. p.* 154. dicta confirmat.

Folia igitur, in prole trunci et radicibus oriunda *nouella*, ſunt ampliora, latiora, lucentia, vtrinque diluti aut ſaturatioris viroris, minusque rigida aut dura, glandulis praeterea in baſi et petiolo diſtincta. *Stipulae*, ad ortum petioli poſitae, magnae et crenatae, in ramis plantae ſuperioribus lineares ferme exiſtunt, caducae euadunt, et poſt plenariam foliorum euolutionem euaneſcunt (*n*).

§. XIII.

Folia vero, quae in ramis et virgis noſtrae plantae creſcunt, differunt figura, magnitudine, rigiditate et craſſitie a prioribus; ſunt dura, vtrinque glabra, ſplendentia, prone laurini ſaturati viroris, ſupine autem paulo dilutiora, cinerea vel glauca, vt plurimum ouato-lanceolata, argute ſerrata, neruo flauo. Variant vero ſaepius margine integro, ſerraturis, forma, glandulis marginalibus et aliis ſuperficiei conditionibus, adeo, vt modo folia *Ceraſi majoris ſatiuae* vel *Lauroceraſi*, modo *Perſicae* et *Amygdali* eſſe videantur. Variantem foliorum compagem nonnunquam in vna eademque planta ſuccedentem obſeruauimus, quae ſpecies nonnullas fictitias pro-

duxit;

(*n*) Hinc male characteres ſpecierum ingrediuntur.

duxit; quarum vlteriorem disquisitionem botanicis relinquimus.

§. XIV.

Mensibus vernis et ipsa aestate folia, cum ramulis recenter decerpta, odore grato, temperato, analeptico gaudent et halitu suo roborante tota conclauia replent, quo tempore maxime lucido virore conspicua sunt, et *humore* quodam *resinoso-viscido tenuissimo rorido* obducta, qui vernicis in modum digitis tenacius adhaeret, quos quasi *Ladani cuiusdam odoriferi specie* inficit (*o*). Manna etiam gratissima aliquando satis copiose in foliis, mensibus Iunii, Iulii et Augusti, prorumpit, quo mirifice delectantur apes (*p*).

(*o*) Lauri saporem et odorem in foliis nostrae Salicis praeter *Froyerum* in *Pharmacobasano* p. 178. nemo cognouit.

(*p*) Hanc *Mannae speciem* non modo in hac Salice et Quercu, sed in aliis etiam fruticosis atque herbaceis plantis reperit *Cel.* GLEDITSCHIVS; cuius mentionem suo loco iniecit in *opere apiario marchico* suo germanice conscripto, quod Lipsiae priori anno edidit; cui titulus est: *Betrachtung über den Bienenstand in der Marck Brandenburg.* Mannam e Salice alba aliquando sudantem vid. in *Mem. des Savans Etranger. III.* p. 501. HALL. *Heluet.* 304.

Quando folia cum ramulis tempore verno ſiccantur, facile nigredinem contrahunt, aut ſubfuſca euadunt, quae adultiora et magis rigida autumno magis flaueſcunt et flauum ſaepius vaſorum reticulum produnt.

§. XV.

In noſtris regionibus *amenta floralia* apetala mellifera ſub finem Aprilis aut paulo ſerius foliorum eruptionem in noſtra ſtirpe vel comitantur, vel eandem ſequuntur, quae in vna planta *ſtaminifera* prodeunt *ſiue maſcula*, in altera vero et a priori penitus diſtincta *piſtillifera ſiue feminea. Maſcula amenta* ſunt vncialia longiora, craſſiuſcula et ſpecioſa lutea, aliquando vix vncialia, odoris fragrantis analeptici pergrati ſpirituoſo-mellei. Stamina, quae numero valde variant, calyces ouatos pubeſcentes longitudine ſuperant, quorum modo *quatuor* aut *quinque*, modo *ſex* in conſpectum veniunt: *quinarius* tamen *numerus naturaliſſimus* et conſtantiſſimus nobis viſus eſt (*q*). *Alte-*

(*q*) Quae ad *generis characterem* ſpectant, vid. in LINN. *Gen. Plant.* Ed. 6. pag. 514. no. 1098. deſcriptiones autem ſuccinctas noſtrae plantae apud GMELIN. *in Flor. Sibir.* Tom. I. p. 154. 155. HALLER. *Helu.* 306. no. 1639. Totius plantae adumbrationem *Cel.* GLEDITSCHIVS iuſſu regio elaborauit

Alterius plantae amenta petiolata, binisque foliis petiolaribus donata, prioribus longiora et graciliora exiſtunt; ſquamis calycinis linearibus atro-ſpadiceis tecta, germinibusque ſtipata ouato-attenuatis, ſquamis longioribus, quorum ſtigmata duo bifida et erecta ſunt. Capſula deinde ſequitur ouato-ſubulata, vnilocularis, biualuis, ſeminibus numeroſis minutiſſimis repleta, quae pappo ſimplici coronantur, et ſero ſaepius autumno ad maturitatem perueniunt, ſecus ac in reliquis ſalicum noſtrarum (*r*).

in vſum phyſico-oeconomicum, quam priori anno Berolini ſub titulo: *kurze Anweiſung zum Anbau der Baumwollenweide und deren Pflege*, publici iuris factam eſſe nouimus.

Stamina laudatus etiam auctor ſaepius vidit *quaterna*, LINNAEVS *quina*, HALLERVS *ſex*, vti et GMELINVS, non raro *quinque*: rariſſimus autem ſemper fuit *numerus ſeptenarius*.

(*r*) *Pappus ſeminis* eſt lanugo tenerrima iſta bombycina, quae goſſypio certo pondere admixta operi textorio apta eſt: de qua re ſcripta *Cel.* GLEDITSCHII et WESTBECKII legi merentur, pluraque relationibus publicis Sileſiae, Marchiae, Sueciae et Thuringiae, inſerta.

§. XVI.

Expoſitis autem illis momentis, quae ad illuſtrationem ſtirpis noſtrae hiſtorico-phyſicam pertinent, nunc ad reliquorum conſiderationem propius accedimus, quae qualitates medicamentoſas eiusdem concernunt. In vſum medicum internum atque externum partes Salicum ſequentes a maioribus receptae fuerunt, v. gr. *florum amenta maſcula* ſub titulo florum, nec non *folia* et *cortex* ramorum iuniorum. Hiſce paulo rarius acceſſerunt *radix* et *lignum*, cum duabus iſtis paraſitis Salicum, nempe *viſco* atque *fungo* (*s*); quibus tamen ferme omnibus ſenſim neglectis, *cortex* cum *foliis* et *florum amentis* tantum perſtitit (*t*).

§. XVII.

(*s*) *Radicem* olim *cum oleo* ad capillorum defluuium commendauit BAYR. *L. II. Pract. cap.* 2. 4. *Lacrymam Salicis* ad oculorum fluxiones ille ipſe etiam laudauit L. III. cap. 23. 24. et REIN. SOLENANDER *Conſil. Med.* 8. *ſ.* 2.

De efficacia *fungi* in puluere contra choleram ſcripſit HARTMANN. in *Prax. Chymiatr.*, aliique mentionem ſparſim fecerunt de virtute *viſci* in promouendo partu et auertendis inſultibus epilepticis. Vſum *corticis* contra clauos atque verrucas docuit FORESTVS L. 4. *Obſ. Chirurg. II.* in Schol.

(*t*) De praeſtantia virium medicarum, corticis, foliorum,

§. XVII.

Miſſa autem facimus plura de viribus Salicum relata, quae nimiam ſuperſtitionem ex parte redolent, ex parte vero ad empyriam (*u*) magis, quam ad ratio-

et florum veteres nunquam dubitarunt; vim adſtringentem et ſaporem ſubauſterum in cortice Salicis albae et reliquarum praeſtantem docuerunt, id quod etiam cortices Salicis noſtrae annoſi ſatis ſuperque confirmant, a quibus tamen cortex iunior amarus ad ſenſum differt. Confer ſcripta MIZALDI, RIEDLINI, DEODATI, FERNELII, VARIGNANAE, WELSCHII etc.

Flores Salicum odorati ferme omnium virtute balſamica temperata et leniter ſoporifera conueniunt, qua in re et celebriores medicorum conſentientes habemus *Aqua deſtillata florum* Salicis ob virtutem analepticam temperatam et modice expanſiuam olim magni momenti habita a quibusdam cum ſacharo roſato parata pro Iulapio in vſu fuit. *Oleum florum infuſum ſ. ſaligneum* leniter ſoporiferum ſomnum conciliat: vid. FR. BARNIER. *Encyclop. Herm. Dogm.* p. 204. et PRAEVOT. in *Med. pauperum.* Quibus adde, quae celeberrimus RVD. AVGVSTIN. VOGEL in *Hiſtoria materiae medicae* pag. 122. et 294. expoſuit.

(*u*) Vid. in IOH. BAVH. *Hiſt. Plant. L. VIII.* pag. 218. 219. compilata varia et bona malis mixta.

rationalem medendi ſcientiam faciunt, propterea quoque ad ſimplicis noſtri medicamentoſi cognitionem parum conferunt. De natura potius, principiis, viribus, effectibus atque vſu florum, corticis et foliorum locuturi, initium faciamus de ipſis florum amentis. Amenta autem volumus maſcula ſalicis noſtrae laureae odoratae (*x*), Maio menſe recentiſſime decerpta; quae pergrata ſua ſcilicet atque temperata fragrantia, quodammodo hypnotica, cum reliquarum ſalicum amentis odoriferis quidem conueniunt, ab his tamen eo differunt, quod odorem de ſe ſpargunt multo ſuauiorem et leniter vaporoſum, qui propter nectariorum numerum inſignem admodum melleus eſt et ad odorem florum Syrin-

De praeſtantia virium florum Salicis contra nimios impetus venereos confer PLIN. *Hiſt. Nat. L.* 24. *cap.* 9. PORTAM in *Vill. L.* 2. *c.* 37. et PORPHYR. apud STOBAEVM, *Scrin.* 98.

Sterilitatem ab vſu florum Salicis cum vino in ſexu ſequiori refert PORTA *libr. citat.* nec non ipſa *Schola Salernitana.* Male interim ſaepius intellecta et interpretata fuiſſe loca veterum ſcriptorum, dubium non eſt, e quorum inſigni corruptela hodie peritiſſimi ſe nondum expedire valent.

(*x*) Supra §. XV.

Syringae coeruleae quodammodo accedit (y). Debilis amentorum ſapor balſamico-ſtypticus non multum virtutis promittit, niſi temperantem et exſiccantem leniſſimam. Amenta floralia iſta integra et recentiſſima, deſtillationi humidae ſubiecta, aquam largiuntur odoratam, temperatam ſpirituoſo-balſamicam et analepticam (z). Tinctura illorum aquoſa, leniter digeſta, extractum debile terreo-gummoſum, temperans, et minus actiuum largitur.

§. XVIII.

(y) *Syringa vulgaris. I.* LINN. *Sp. Pl.* II. Syringa coerulea C. B. *Pin.* 398.

(z) *Aqua deſtillata* apud veteres in vſu fuit; DVRETVS apud HOLLER. *de morb. intern. L. I. c.* 52. eandem cum ſacharo roſato temperatam in mictu cruento pro Iulapio commendat; DEODATVS vero lib. 3. c. 26. in nimio fluxu menſtruo laudat. Ex PROSP. ALPINI relatione I. *pag.* 193. CHARDIN. *L. IV. p.* 197. aquam odoratam in oriente parant e variarum ſalicum floribus, in febribus acutis ſalubrem; qualem et noſtrae ſpecies et aliae fundunt, quarum iuli odorati ſunt. Ex HALLER. *Heluet.* 304. relatione amenta integra floralia et recentiſſima aquam deſtillatam ſuauiſſimam largiuntur, quae virtute, effectu et vſu ad aquas noſtras analepticas et diapnoicas temperatas *Ceraſorum*, *Tiliae*, *Vlmariae* atque *Nympheae* luteae cohobatas quam proxime accedit.

§. XVIII.

Corticis differentiam in Salice noſtra medicamentoſa partim aetas ramorum atque virgarum, partim ſapor notabilis cum partibus conſtitutiuis extra omnem dubitationem ponunt (*a*). Corticem autem ipſum vſu medico ſatis dignum iudicamus, tam recentem, quam in vmbra rite exſiccatum, et menſe Maio a ramis anni praecedentis aut virgis nouellis detractum; quorum prior odorem tenuem gratum et ſaporem balſamicum amarum prodit, poſterior autem ſimili quidem odore adque ſapore gaudet, in receſſu tamen linguae ſubauſterum ſimul imprimit. Cortices ramorum biennium minus ſunt amari, et magis adſtringentes, et in triennibus aliisque craſſioribus amaror debilis tandem euaneſcit, et partes terrae rudiores valde auſterae ſiue ſtypticae tantum ſupereſſe videntur, ſolo ſapore dignoſcendae. Praeſtat igitur in medicina cortex ramorum iuniorum (*b*), propter principium amarum balſamicum et leniter adſtringens, cui longiſſi-

(*a*) Vid. §. VII.

(*b*) Partes conſtituentes in cortice recentiſſimo ramorum tenuium, nec non ſiccato tenui annuorum atque biennium non modo ad examen ſaepius reuocaui, verum etiam cortice ipſo loco medicamenti amari cum fructu vſus ſum.

gissime postponendos esse arbitramur cortices ramorum annosiorum et reliquarum Salicum, quos partim ad styptica rudiora ablegamus (*c*), partim ad materias operi coriario aptas.

§. XIX.

Cortex Salicis nostrae, quem §. IX. indicauimus, principiis gaudet ex parte *volatilibus odoratis, oleoso-spirituosis balsamicis*, et *acidulo salinis*, ex parte

 vero

(*c*) *Cortex* propter vim adstringentem, siccantem et roborantem, qualem in foliis plurium Salicum obseruamus satis validam, vsum olim in medicina habuit et in chirurgia amplissimum: de quo legi merentur. I. B. *Hist. Pl. L. VIII. p.* 218. 219. HALLER *Heluet.* 304. quorum posterior de balneo decocti corticis in debilitate crurum infantilium mentionem facit. Corticem menstrua cohibere docuit GV. VARIGNANA *Secret. Med. p. m.* 205. Corticem et folia vino cocta fotu podagricos leuare tradidit MIZALD. *Cent. I. Mirab. Aph.* 44, in tumoribus pedum oedematosis et folia conducere, auctor est RIEDLIN. *Curat. Med.* 417. *pag.* 249. Corticem cum amentis eorumque lanugine in variis haemorrhagiis commendant FERNELIVS *M. M. I.* 6. c. 13. DEODATVS *Panth Hygiast.* 3. *c.* 24. FR. IOEL. 3. *Pract. f.* 3. *et* MARCEL. CVMAN. *Obs. Med.* 37.

vero *fixis resinosis*, *gummeis* atque *terrestribus*; quarum priores destillatione cum aqua, vino, et spiritu vini alembicum facillime transcendunt, aut sub praeparatione extractorum, halitu, toto euaporationis tempore, sensibus patent, et gratum balsamicum vel spirituoso acidulum odorem de se spargunt. Aquae spirituosae non nihil turbidae *cuticula oleosa* tenuissima innatans, ob paucitatem molecularum, separationem non admittit: maior olei portio e cortice tenui recentissimo in receptaculum transit, et pars spirituosa, absque oleo aquam satis limpidam relinquens, eandem pergrato fragranti odore et viribus maxime imbuit; qualem in aqua *foliorum Persicae*, *florum Vlmariae*, *Acaciae* aut *Cerasorum* obseruamus.

§. XX.

Principia corticis fixa resinosa et *gummosa* intime coniuncta sunt, et *terrea rudiora* inter se pondere ita differunt, vt terra rudior in vna corticis vncia ad vnciam fere semissem, resina ad drachmas binas et scrupulum aliquando, gummosum autem ad drachmas duas vel drachmam vnam et semissem vt plurimum accedat. Vncia vna corticis optimi tenuioris, sicci, e ramulis tenellis aut praecedentis anni, Majo

mense

menſe collecti, infuſum exhibet flauo-aureum et aquam analepticam temperatiſſimam, ſatis pellucidam. Odor in cortice iſto ſicco debilis vel peculiaris nullus obſeruatur, principium tamen balſamicum cum amarore ſatis intenſo coniunctum eſt. Extractum eius aquoſum primum ſubfuſcum intenſe amarum acriuſculum et ſtypticum eſſe notauimus, quod, ſub tota euaporatione particulas *ſpirituoſo-acidulas copioſas* exhalans, tandem ad pondus drachmarum duarum acceſſit.

§. XXI.

Eiusdem *corticis amari et balſamici*, e ramulis recentiſſime detracti, vncia vna aquam deſtillatam fundebat *non nihil turbidam*, *oleoſo-ſpirituoſam* et priori fragrantiorem. Odor fortior gratus et ſatis expanſiuus hypnoticus erat foliorum *Perſicae* et *florum Acaciae* ſimilis, ſed *quodammodo grauis*. Tinctura aquoſa prima aureo colore diſtincta et limpida, balſamico-amara, extractum dedit non ingratum, balſamici odoris, peramarum, acriuſculum, balſamicum atque ſubfuſcum, pondere drachmae integrae, aut vnius et ſemis.

§. XXII.

Infuſum primum ſpirituoſum leniter digeſtum, vt priorum, aureum, rhabarbarino ſimile, et amarum, menſtruum magis redolens, quam corticem, in receſſu auſteriuſculum erat: *Tinctura ſpirituoſa ſecundaria*, pallidior et leni amarore imbuta. *Infuſum ſecundum aquoſum* ſubflauum, leni digeſtioni commiſſum, amarore ſatis temperato et leniſſime tantum adſtringente gaudebat, et *eius extractum* leniter amarum atque ſtypticum et omnis acredinis expers erat. *Extractum* autem *infuſi primi ſpirituoſi* balſamicum, reſinoſum, tenax, linguae ſaporem imprimebat balſamicum *amariſſimum* et *intenſe auſterum*, et ad pondus drachmarum binarum et ſcrupuli vnius accedebat. *Infuſum corticis* tandem *vinoſum* ſaturate luteum *balſamicum*, *amarum*, *acre* et *ſtypticum*, absque digeſtione paratum, particulis conſtitutiuis valde erat impraegnatum.

§. XXIII.

De Salicis noſtrae foliis nunc vt diſſeramus, supereſt. Iſta *partim iuniora* et *tenella*, *partim adultiora* et *rigidiora* in vſum trahi poſſunt. In reliqua Salicum gente, exceptis pauciſſimis, folia obſeruauimus prorſus terreo-ſtyptica, in nonnullis amara

aut

aut amaro auſtera. *Iuniora* folia, laeto virore conſpicua, antequam duriora, ſicciora atque tenacia euadunt, ſapore, vt ſaepius indicauimus, gaudent balſamico et ſatis amaro, cum pauca atque leniſſima adſtrictione coniuncto: *maiora* autem duriora et laurina, obſcure viridia, inſignem non modo amarorem ſapiunt, verum etiam linguae valde ſtypticum imprimunt ſaporem. Odorata tamen omnia atque pergrata ſunt, et ſub deſtillatione aut euaporatione extracti aquoſi acidum volatile magis ſpirant, quam cortex; quale e decocto Tamarindorum aut Prunorum exhalante ſatis manifeſtum eſt. Extracta etiam foliorum in genere quidem ſunt amara, balſamica, acriuſcula et ſtyptica, ſimul tamen odore atque ſapore acidulo donata.

§. XXIV.

Vncia vna *foliorum ſiccorum*, odore balſamico amaro gaudens, deſtillatione aquam fundebat analepticam, gratam, pellucidam, temperatam, Ceraſorum aemulam. Infuſum aquoſum primum foliorum ſubluteum et amarum erat, e quo paratum extractum fuſco-nigricans euaſit, odoris aciduli balſamici, ſaporis amariſſimi, non nihil acidi, ad pondus drach-

drachmarum duarum et ſcrupuli ſemis. *Folia iuniora recentiſſima* odoriferaet pergrata, amarorem cum ſtypticitate produnt, et aquam deſtillatam largiuntur analepticam temperatiſſimam, aliis e cortice paratis longe gratiorem, odore inter aquam roſarum et ceraſorum mediam. *Extractum aquoſum,* halitum acidulum balſamicum ſpirans, Tamarindinato ſimilem, valdeque amarum et leni acredine ſalina linguam vellicans, ex vncia vna foliorum ad pondus drachmae vnius et ſcrupuli vnius et ſemis accedebat.

§. XXV.

Tinctura ſpirituoſa prima, colore ſaturate viridi conſpicua, ex vncia vna foliorum parata, odore balſamico menſtruum ex parte redolens, ſapore amaro gaudebat. In *extracto reſinoſo* fuſco nigricante, cuius pondus circiter drachmarum binarum et ſcrupulorum duorum erat, odorem debiliorem et ſaporem maxime amarum et ſtypticum temperatum notauimus, qui multo remiſſior erat illo, quem extractum reſinoſum corticis habet. *Extractum foliorum aquoſum ſecundum* ſubfuſcum, drachmam vnam et grana quindecim ponderans, odoris balſamico - aciduli, ſaporem prodidit balſamicum leniter amarum, minime

minime ſtypticum. De *infuſo foliorum* vinoſo ſubluteo praeter haec notari quoque oportet, illud eſſe balſamicum valde amarum et non nihil ſtypticum. Sapor ſtypticus et intenſe auſterus pertinet proprie ad partem reſinoſam; cum in extracto gummoſo puriori, tantum amaro aut amaricante temperatus, imo vix vllus notetur, quippe cui amaror potiſſimum ineſt: licet miculae reſinoſae pauciſſimae mixtioni gummoſae inhaereant.

§. XXVI.

Praeter *partes volatiles odoratas* oleoſo-ſpirituoſas non paucas, cortex et folia *ſubſtantiam fixam* valde quoque actiuam reſinoſam et gummeam habent, particulis ſalino-acidulis plus minuſue praegnantem. Principium reſinoſum, cum gummeo arcte connexum, ſaporem ſubauſterum et adſtringentem prodit, cum in gummoſa ſubſtantia corticis et foliorum amaror inſignis obſeruetur. In corticibus annoſis et craſſioribus copia reſinoſo-terrei gummeum ſuperare videtur. Amaror enim, cuius mentionem fecimus, in cortice ramorum craſſiorum multum imminutus et quaſi implicitus, ſenſim euaneſcit, ſola ferme ſubſtantia adſtringente rudiore

relicta (*d*). An ad mentem neotericorum quorundam *particulae martiales tenerrimae* substantiam terreo-resinosam aut gummeam fixam ingrediantur, quae verum adstrictionis fundamentum in plantis largiuntur? in dubium vocare simpliciter quidem non audeo, neque tamen sine plurium experimentorum consensu in genere affirmo.

§. XXVII.

Partes volatiles, in cortice et foliis siccis exhalando sensim imminutae, in recentissime collectis aut recentibus, in quibus abundant, temperatiores saltem existunt, et ratione virium medicarum attentione dignae sunt: in vetustis aut nimium exsiccatis magna ex parte deficiunt, quae tamen ob principia fixa valde actiua vsu suo non carent (*e*). Folia recentia cum cortice tenui locum inter austero-amara odorata balsamica occupant; amaroris namque insignis cum principii volatis balsamici temperata miscela indicat remedia abstergentia, discutientia,

(*d*) Vid. §. XVIII.

(*e*) Corticem salicis furno exsiccatum et in puluere contra impetum febrium intermittentium datum laudant multi.

tientia, commouentia, diapnoica, diuretica, anthelmintica, et idonea ſimul roborantia et moderata virtute ſtyptica imbuta. Huius vero loci tantum ſunt folia tenera cum cortice tenui, excluſis rudioribus, nimis adſtringentibus, nulloue aut pauciſſimo amarore praeditis.

§. XXVIII.

Quantum obſervationibus repetitis conſtat, pars reſinoſa cum gummea in corticis et foliorum mixtione, portione ferme aequali, exiſtit; quarum prior adſtrictionis, poſterior amaroris, ergo et abſterſionis, cauſam materialem conſtituit. Hinc reſinoſa fibras valide conſtringit, gummoſa partim abſtergendo, partim leniter roborando agit. Cortex itaque et folia ſecundum dogmata et obſeruationes rationalium medicorum produnt virtutem antifebrilem, multorum celebratiſſimorum remediorum efficacitate vix inferiorem *(f)*. Robur enim naturale pri-

(f) *Corticem* Salicis albae in febribus intermittentibus vel corticis peruuiani loco ad ſcrupuli vnius pondus, vel cum quinta parte corticis mixtum, vtiliter dederunt medicorum nonnulli. Vid. *Phil. trans. Vol. LIII. p.* 195. Confirmauit huius ſalicis inſignem vſum non modo in febribus tertianis et quotidianis, verum

primarum viarum reliquorumque viſcerum, in febribus intermittentibus valde deiectum, confortando atque conſtringendo reſtituunt, chylificationis negotium turbatum et imminutum iuuant, et nouarum cruditatum prouentum auertunt, quae, perenni affluxu maſſam ſanguinis deprauantes, materiam ſemper nouam irritantem ſuppeditant.

§. XXIX.

Vis autem adſtringens *corticis tenuioris* temperatior et *iuniorum foliorum* longe mitior eſt, quoniam ſubſtantia illorum partibus copioſis balſamicis et amaris valde abſtergentibus ſatis eſt contemperata. In morbis igitur multis, ab atonia partium ſolidarum oriundis, cum fructu applicantur: v. gr. in infuſo vinoſo, extracto vinoſo et aquoſo, in aquis idoneis diapnoico-analepticis temperatis ſoluto. Huius generis praecipue ſunt febres intermittentes, cachexia,

etiam in vomitu pituitoſo periodico, colluuie verminoſa, et ventriculi atonia, clariſſimus IO. FRIDER. CLOSS, *in der neuen Heilart der Kinderpocken etc.* pag. 84. ſeq. edit. Vlmenſis, cIↄIↄCCLXIX. Id quod extracti et infuſi vinoſi virtute a ſalice quoque noſtra factum eſſe experti confitemur.

chexia, leucophlegmatia, oedemata membrorum, raucedo diuturnior, laxitas gingiuarum et vuulae, prolapſus vaginae vteri et inteſtini recti, laxitas vaſorum, debilitas renum, veſicae atque ligamentorum; de quibus per obſeruationes practicorum ſatis certi ſumus. Porro in profluuiis ſeroſis, vlceribus, et putredinoſa externarum partium corruptione prodeſſe poſſunt. Hanc ob cauſam vſus infuſi vinoſi et aquoſi, nec non decocti, tam corticis, quam foliorum, apud veteres olim inclaruit.

§. XXX.

Amaror enim gummoſus leniter balſamicus, et particulis adſtringentibus temperatus, vires in totum corpus humanum exercet plane eximias, confortando ſcilicet ventriculum cum inteſtinis, in iisque digeſtionem promouendo, mucum praeternaturalem abſtergendo, et bilem et cruditates primarum viarum corrigendo. Vt de vermibus hoc loco ſaepius dicta non repetamus. Subſtantia deinde amara balſamica gummoſa iſta, ſanguinem ingreſſa, ſtimulo peculiari contractiones vaſorum auget, ſanguinem commouet, eiusque calorem magis exaltat. Quo facto fluida lenta ſpiſſaque attenuantur, reſol-

uuntur, languidae, tardae, et inaequales ſe-et excretiones ad ſtatum naturalem reducuntur, vulnera quoque conſolidantur, et putredo, amaris balſamicis imminuta, ceſſat.

§. XXXI.

E quibus facile patet, corticem recentem atque teneriorem cum foliis iunioribus, propter principiorum in mixtione contentorum praeſtantiam, medicamentis omnino nobilibus tonicis, abſterſiuis, reſoluentibus, aperitiuis, diaphoreticis, diureticis, ſtomachicis, antifebrilibus, antiputredinoſis, anthelminticis atque vulnerariis annumerari poſſe; quae in potioribus morbis locum inueniunt, qui, ob atoniam ſolidorum, a motu nimis debili et tardo atque inde pendente fluidorum mucoſa et impura ſpiſſitudine varia ortum habent. Vitia huius generis nonnulla ſunt, v. gr. digeſtionis et appetitus deprauationes, affectus flatulenti, torminoſi, et verminoſi abdominis, febres intermittentes, icterus chronicus, obſtructiones viſcerum, affectus aſthmatici, cachectici et pituitoſi, oedemata, vomitus chronici, lienteria, diarrhoea mucoſa, fluor albus, nephritis mucido-ſabuloſa, defectus menſium, lochiorum et haemorrhoidum, morbi rheumatici frigidi, catarrhales, ſcabioſi,

biosi, scorbutici, cum vlceribus aliisque, qui cum prioribus vnam eandemque causam agnoscunt.

§. XXXII.

In morbis vero, a causa calida sic dicta prouenientibus, bilis orgasmo, sanguinis nimia rarefactione, fibrarum constrictione vel siccitate, aliisque similibus, medicamenta amara et amaro-austera, ob modum operandi, minus tuto et non absque singulari circumspectione in vsum vocantur. Quae omnia atque singula de vsu foliorum et corticis nostrae Salicis etiam valent.

§. XXXIII.

Sicuti ergo folia et rami iuniores recentissimi ob halitum, quem spirant, analeptico-balsamicum aeris aestuosi atque impuri indolem nociuam intra conclauia mutant; quem in finem maiores nostri hisce saepius vsi sunt: ita quoque aqua, ex hisce medio Maii et Iunii destillata, odore fragranti et analeptico praegnans, potiones nostras diapnoico-analepticas cum insigni aegrotantium solamine ingreditur. Infusa cum decoctis vinosis et aquosis vtiliter quoque praescribuntur, vti a veteribus factum esse constat. Item etiam extracta, efficacissima ista medicamina,

vino

vino ſoluta aut alia forma exhibita, et in elixirii formam redacta, commode propinari poterunt. Folia et cortices externe in decoctis, infuſis, fotu, balneis, epithematibus, cataplasmatibusque adſtringentibus, roborantibus, vulnerariis, antiputredinoſis, abſtergentibus, locum ferme antiquiſſimum habent.

§. XXXIV.

Sufficere poſſunt haec, vt exiſtimamus, ad Salici laureae odoratae noſtrae locum inter ſimplicia medicamenta haud ignobilia, hactenus diu multumque neglecta, vindicandum; quo ſapientiores medici inde excitentur, vt hanc quoque nobiliſſimam plantam e ſpontaneis patriae plantis in vſum medicum quaſi poſtliminio reducant. Nauabimus vero operam, vt quauis data occaſione in poſterum obſeruationes veterum veriores in vſum medicinae rationalis propriis experimentis augeamus atque confirmemus, adeoque beneuolis lectoribus ſtudia noſtra, quoad eius facere poſſumus, de meliori commendemus.